

ILLUSTRISSIMO VIRO DOMINO D.

CLAUDIO PELLOT

SUPREMI NEUSTRIÆ SENATUS PRINCIPI.

QUÆ auxilium omnibus parat, Medicina, Tuum, SENATÛS PRINCEPS ILLUSTRISSIME, *ſupplex implorat. Nec Patronum alium debuit quærere, quæ Mortalibus opitulatur, quàm qui ægris Reipublicæ rebus medetur & ſubvenit. Tu quippe Delphinatûs & Pictaviæ Præfecturas gerens, circa ſtationem, victúmque copiarum leges tuliſti, quæ ordinem Militari diſciplinæ, & quandam quaſi ſanitatem reddiderunt. Cataloniam inde miſſus ſimultates inter Tribunos & Milites ſuſceptas extinxiſti, ſicque reſtituiſti diſsipatas copias, & numeroſum, ſed jam penè dilapſum exercitum. In Aquitania verò, ubi Prætoris impleviſti vices, per imminutas ſubditorum exactiones locupletaviſti Dominii reditum: Conſtructis Pontibus, reſtauratâ Corduanâ Pharo, deductis in latiores alueos rivis, expeditam commercio viam aperuiſti; & quaſi parum foret, turbatam tranquillitatem reſtituere, Regis ærarium augere, ditare Rempublicam, juvare ſingulos, & intemerati Magiſtratûs nomine inclareſcere: firmitudinem adſtruxiſti Imperio per aperta Conjuratorum, mox punita ſcelera. Sic Populi non magis telis, quàm cæli ſolíque ingenio armati, Prudentiâ tuâ Moderatrice, non tulerunt modò Imperii iugum, ſed ita pertulerunt, ut allici poſtea à te viderentur, non adigi: Sic præter voluptatem, quam peperiſti Regi, fidei invictæ integritatem probaviſti, qui Te Senatui ampliſsimo præeſſe voluit, ubi in ferendis Decretis, iudicii tui robur, mentis acumen, pronunciandi maieſtas non minus Te, quàm oris & Infulæ dignitas ſupra omnes evehit. Sic denique Te charum Regi & Regno, bonis amandum, verendum improbis, omnibus ſuſpiciendum præbuiſti. Patere igitur,* SENATÛS PRINCEPS ILLUSTRISSIME, *ut communi illo etiam nomine Medicina Te noſtra ſuſpiciat, & quem Delphinates ac Pictones Legislatorem integerrimum, Cantabri & Cataloni Sequeſtrem pacis, Aquitani Liberatorem ſuum, Normani Præſidem incomparabilem agnoſcunt: eundem Patronum agnoſcat & ſuſpiciat;*

FERDINANDUS · MENDEZ.

QUÆSTIO MEDICA.

PROPOSITA A CLARISSIMIS VIRIS D.D. DECANO ET DOCTORIBUS MEDICIS, COLLEGII ROTHOMAGENSIS PRO COOPTATIONE DISCUTIENDA.

68.

An extremis morbis extrema ſemper remedia?

PEREXIGUA pars eſt vitæ quod vivimus. Nec illa qualiſcunque inter ortum & obitum intercapedo, vita dici meretur, ſed tempus; nam inculpatè vivere, id ſolùm vivere cùm ſit: quandiu per languores diem trudimus, vitam trahimus, non vivimus. Scilicet in hoc paucorum annorum circuitu aſſiduum penè nobis cum morbis negotium eſt, qui ut ſemel jugulent, ſæpe & diſpari modo nos adoriuntur; & alienam ſive inducant temperiem, afficiant organa, aut commune producant vitium, proindéque naturæ infenſi ſint, plus illi tamen minus-ve negotii faceſſunt, pro ut magnitudo, motus, mos, aut eventus, eoſdem magnos, aut parvos, longos aut breves, acutos vel chronicos, malignos aut benignos, ſalutares, periculoſos aut lethales effecerint. Miſtâ quadam pernicie extremi inde tanquam peſſimi, exurgunt morbi, qui ab initio tales, vel conſequentiâ facti, ægrotantes, quos adoriuntur, lucis uſurâ fraudare vel poſſunt vel debent. Ne verò debeant ſi poſſint, remediis oppugnandi ſunt, quæ Dieta, Pharmacia, & Chirurgia ſuppeditant. In prima tamen quantitas, in altera qualitas, in tertia modus & via potiſſimùm ſpectanda: quippe & victus ratio cùm exquiſitiſſima, pharmacum cùm vehemens, & Operatoris induſtria cùm periculoſæ plenum opus aleæ aggreditur, extrema cenſentur remedia; ad quæ confugere in extremis illis, audent alii perpetuò, alii nunquam. Sed quemadmodum hi protelando aut levioribus auxiliis præcipitem morbum mulcendo, magnas ſæpe opportunitates corrumpunt: ſic illi nimiùm ubique audendo, experimenta per mortes agunt, & ut quandoque, fortunâ duce, poſſunt vel imo tollere de gradu mortale corpus: ſic ſuperbos vertere funeribus triumphos. Scilicet, quoniâm fortunâ duce: nam incertus eos manet exitus, qui hâc reguntur, vel qui magnis affectibus magna illico præſcribunt auxilia, quia magni. Malus nodus malum cuneum deſiderat, non ſemper patitur: extremi morbi extrema ſuadent remedia, non tamen ſemper perſuadent. Eſt enim morbi cauſa, ſunt vires ægrotantis, ad quæ, cum morbo, dirigi debet curantis conſilium. Eſt temperamentum, ætas, ſexus, conſuetudo, vitæ genus & affectæ partis conditio, quibus condonandum aliquid eſt, & abſque quibus, ſi quis Medicinam facit, optandos ſibi non magis ſpondeat exitus, quàm qui paſſim ſequitur corvos teſtâque lutóque.

OPTIMI Medici officium eſt, non deliteſcentes modò agnoſcere & aggredi morbos, ſed antequam præſcribat remedia, attentè inſpicere quiſnam medelæ ſit locus: ut tam prudenter deſperatos affectus deponat, quàm ſapienter ſanabiles aggrediatur. Sunt quippe, quos non aggredi modò, ſed velle, imprudentia eſt. Nam ut cæcos, ſurdos, mutos, gibbos, & hujus generis ab ortu contracto vitio laborantes prætereams; quis confoſſo per cor, hepar aut cerebrum homini, manus illidat? quis præ morbi cujuſvis pernicie, aut virium ruinâ conceptam in præcordiis mortem gerenti opituletur? quis opem ferat deplorato hectico, aut phthiſico vi continuæ tuſſis egerenti viſcerum partes? Non illis edepol tua profuerit, non Antiphilonis θεραπεία, utpote quibus nec ſalus ipſa ſaluti eſſe, ſi cupiat, poteſt. Si tamen eò uſque non proceſſerint pernicies, & remediorum ope promittant ægrotanti inducias, aut protrahendæ vitæ ſpem: ut afflictum deſerere non debemus, quod vix eſt Medici; ſic, edito prognoſtico, paregoricis, non magnis remediis uti, quod prudentis eſt. Sanabiles verò inter ſpem metúmque ſiti, licet terroris magis ac metûs incutiant, quàm promittant ſpei, remediis, non ex acervo ductis, ſed rectâ methodo adhibitis excindi debent, ac ſubmoveri. Ex cujuſvis igitur affectûs ſpecie genus remedii decernat Medicus, & ex affectæ partis notitiâ, inveſtigatâ utendi viâ, morbi magnitudine, non ita quantitatem ſeu vim remedii metiatur, quin indicantium, contraindicantium, coindicantium, correpugnantium, permittentium, aut prohibentium ratione: imminui, augeri, adminiſtrari vel omitti poſſe arbitretur. Nam quis pro exigentia morbi & corrupti ſanguinis ſanguinem detrahat imbecillimo, & alioqui per ſe caſuro febricitanti? quis internæ ac nobili parti remedia accommodet, quæ in ſimili affectu externæ aut ſervili præſcripſerat? quis valido cathartico prægnantem concutiat: aut à matre rubentem infantulum adoriatur? ſcilicet, ſæpe quæ proſunt morbo, obſunt cauſæ: quæ morbus & cauſa deſiderant, ægrotantis vires non patiuntur: quæ una pars affectat, in ſimili morbo alia reſpuit; quæ proſunt juveni, nocent puero & ſeni: & viro ſalutaria remedia, mulierem gravidam geminata pernicie obruunt. Quare cùm favent omnia, magnis morbis non magna modò, ſed quandoque majora; extremis extrema remedia optima; at ſi quid remedio à morbo petito repugnat, omnibus æqua lance perpenſis præferendum illud eſt, quod valentiora poſtulantia extorſerint.

VERÙM, in exercenda Medicina, perinde ac in litibus dijudicandis, facti, quàm juris quæſtio obſcurior eſſe cùm ſoleat: Adſit Apoplecticus. Celer morbus ac præceps tempora legere non ſinit. Quare qui mediocri cathartico & enematis, qui cucurbitulis, hirudinibus, ſternutamentis, vinculis, frictionibus materiam morbi avellere, vacuare, revellere, derivare: qui denique profundo ſopitum veterno avulſis pilis, & maximis clamoribus ſuſcitare ſatagunt; ignorant quam ſurdo narrant fabulam. Leviora quippe tanto morbo remedia ſunt, imò noxia, vel eò ſaltem nomine, quia leviora. Nam in occaſionis momento, cujus prætervolat opportunitas, ſi in ferendis magnis auxiliis cunctatus fueris, nequicquam mox omiſſam querare. Non hîc moratur Empiricus, quin vinum κατ' ἐξοχὴν emeticum ubique laudans, ubique proſtituit & porrigit. At cauſam mali perſcrutari prius oportebat; nam quemadmodum Apoplexiæ à pituitoſo humore ſpinalis intra cranium medullæ vias opplente (quæ enim vulgò creditur ventriculorum obſtructio, rara, ne dicam commentitia Apoplexiæ cauſa eſt) præſtò opitulatur; ſic non modò non ſuccurrit ſanguineæ, ſed, concuſſo univerſo corpore, humoribúſque agitatis, ſanguinem pellit in miſerum antidhac & præ copia fatiſcens caput, ubi diſrupto vaſe morbum morbo accumulat, & ex gravi affectu graviſſimum, imò immedicabilem generat; nam obſeſſa phlegmone parte ſi ad venam tundendam accurras (factum antea oportuit) perinde feceris ac Nauclerus, qui poſtquam per incuriam invertit navim, aſſerem navigantibus dat, unde deploratam ſibi ſalutem comparent. In capitis aliis affectibus, quos violenta percuſſio aut ſimilis caſus invexit, diligentia quoque etſi non pari opus eſt. Nec tam anxiè ut vulgò expectanda ſignorum συνδρομὴ penetrantis ictûs; quia nullis omnia, pluribus pauca, nonnullis penè nulla ſe produnt initio; poſt quartum tamen diem non abſque fœnore apparitura. Quare cùm levis ſuſpicio ſubit, diffidendum eſt de vulnere, etiamſi deſtituto numeroſâ catervâ ſymptomatum, & abſciſſâ cute quamprimum luſtranda oculis calvaria, mox ſi quid fractum conſpicitur, terebello perforanda. Quid fractum dico? fiſſum aut validè contuſum ſat eſt, ut extremum illud tentes remedium, quo ægrotans facto nullum penè periculum, præpoſterè omiſſo certiſſimam ſubit perniciem. Imbecillum ab ictu os quidquid in alimoniam debebat faceſſere in alienam vertit ſubſtantiam, quæ dum per rimulam in membranam duram diſtillat, eandem, morâ corrupta, inflammat, febres acceſſit, convulſiones, deliria, mortem, in hoc affectu poſt 40. quandoque ab ictu dies (quidquid aliter tulerint leges) hac de cauſa vulgatiſſimam. Nec tàm parcendum eſt commiſſuris, quàm cavendum ne illæ pro rimula, aut rimula pro commiſſura imponat: quo deceptum ſe faſſus eſt, qui nec fallere, nec falli poſſe credebatur. Imò etiamſi nihil in percuſſo oſſe fracti, fiſſi aut contuſi appareat, quoniam aër diploe concluſus in adverſam ictui partem nonnumquam exploditur, hanc, ſuadentibus ſymptomatis, licebit ſectione explorare, & reſonitûs metu ἀπήχημα ſive ξυμφορὰν infortunium quærere, quo vitemus infortunium. Non tam levi conjectura, quâ τρίταιον Medicus, λαρυγγοτομίαν inſtituet in angina gutturis. Deploratam eſſe κυνάγχην oportet, priuſquam intercepto phlegmone ſpiritui ferro moliatur viam per inferiorem tumore partem, inter cartilagineos ſemicirculos aſperæ arteriæ. Sed & ille ſpiritus, qui arctiſſimè vitæ annectitur, ſæpe obſtructis pulmonum bronchiis non niſi erecta cervice, cum ſibilo, ſtertore, & tam anxio conatu eliditur, ut non aſthma, non orthopnæa, ſed mortis meditatio dici mereatur. Cæterorum enim affectuum quidquid eſt, ægrotare eſt; hoc, eſt animam agere: cui retinendæ tam irrito, imò & pernicioſo conatu laborant qui ægrotantes ſuffiunt arſenico, (ſupino errore pro gummi juniperi ſeu Arabum ſandarace, Græcorum σανδαράχην rubrum arſenicum, mortiferum venenum accipientes) quàm laudabili niſu, qui non omiſſis aliis quibus materia fluens revelli, fluxa incidi & avelli debet, in præcipiti paroxyſmo (niſi plethora aliud inſinuet) præ cæteris fidit emetico; ne præceps morbus, auctâ materiâ, oppletiſque magis pulmonibus, antequam extinguatur, extinguat.

GAUDET, ut ſuo aëre, ſuo igne vivens omne; imò petenni & reciproco illius tractu indiguit, quia per calorem vivit & viget. Hic exuto quandoque innati aut primigenii ſpecioſo ſed inani & inepto nomine (nec enim qui nos adultos fovet primò nobiſcum genitus, aut uti vulgò creditur innatus eſt, ſed quemadmodum aquam aqua in flumine, aut in lampade ignem ignis urget, ſic primogenitum humorem alter humor, calorem calor, continuatâ ſerie propellit) ex connaturali, præter naturam evadit cùm præter modum auctus per vaſa furit, ſanguinem fermentat, accendit febres, non minus celeri motu, & acerbis ac feris moribus, quàm phrenitidis, anginæ, pleuritidis, peripneumoniæ, hepatitidis & ſimilium inflammationum comitatu formidabiles. Non hic licet αἱμοφόβον eſſe, nec triduana inediâ (etſi victu exquiſitiſſimo ſit opus) cruciare ægrotantes: ſecanda utique vena, & κοινοτάτῳ remedio depellendum νόσημα κοινότατον, quin (modò adſint vires) nulli parcendum ætati aut ſexui, in morbo qui nulli parcit. At vires favent, morbus urget, ætas florens aut conſiſtens eſt, quem ſanguinis miſſioni præſcribes modum? Nuſquam magis conjecturalis eſt Medicina, ſi uſquam eſt, quàm in metiendis remediis. Profundendus, & quidem acervatim ſanguis, ſed iterum uſquequò? ad animi deliquium? fallax eſt meta; ad coloris in ſanguine mutationem? æquè eſt fallax & pernicioſa; ſunt enim quorum cruor adeò conſpicitur uniformis, ut nulla profuſione, mutationem coloris extorqueas: ſunt qui apertâ ne dum venâ linquuntur animo, plethorici tamen, & copiâ non exhauſtu laborantes; ſunt denique quos lipothymia nunquam invadit niſi cùm præ fotibus ſyncope, & ipſa mors eſt. Quare determinatis hiſce regulis, tanquam perpetuò fallacibus jure merito neglectis: tantùm ſanguinis dettahendum, quantùm computatis ſignis, tum morbi, tum vitium, & vires ferre, & morbus exigere prudenti Medico videbitur. Quòd ſi non aliter quàm profuſo ad quatuor vel quinque heminas affatim ſanguine ſanationis lux valde crepera affulgere videatur: nunquid ſatius eſt, ægrotantem ſinere mori, quàm occidere? In inflammatoriis aliquot affectibus non venas modò, ſed à laborante particula indicatas nobis arterias, etſi non omnes, abſque aneuriſmatis metu ſecamus. Per eas nempe fertur ebulliens, & inflammationum perpetuus parens, ſanguis. Quòd ſi per externa membra diffuſus, & recocto diù vitio atræbilis naturam nactus depaſcentes producat cancros; aut extincto laudabili calore corruptâque inde ſubſtantiâ νέκρωσιν afferat partibus: hæ, quando ferre id potuerunt, ferro & igne extirpandæ, priuſquàm altè ſerpat contagium. Quòd ſi contagium & lues, non tam illam, quàm ſuperiorem agnoſcat cauſam, nec tam corporis hanc illam partem, quàm maſſam ſanguinis, cor ipſum & univerſum perinde corpus invadat ut in peſte, morbiſque omnibus in quibus θεῖόν τι deliteſcit, tametſi imperito ducier analogiſmo latentes & abditæ cauſæ ſæpè nos cogant: cardiacis ſemper remediis, ſæpè diaphoreticis, levioribus nonnunquam purgantibus, nunquam verò ſtibialibus illis, penè dixerim, Stygialibus vel expediundi gratiâ, pugnandum. Nulla ſic experiare extrema remedia: ſi non prodes, ſaltem ne noceas. At in aliis affectibus non malignâ qualitate, ſed pervicaci aliquo & pernicioſo ſymptomate, ſeu caſu infenſis; ut mentem & operam primò ad cauſam & morbum dirigimus, ſic ne cauſæ vicem gerat, ipſi vel inverſâ methodo, occurrimus. Sic in maximis doloribus à narcoticis non uſquequaque abſtinemus. Stupefaciendus quandoque homo, ne ipſo dolore ſenſum doloris amittat. Ita quippe nos genuit benigna parens natura, ut non poſſimus & multum dolere, & diu. In pertinacibus verò, & valde alioqui nocituris vigiliis, arte conciliandus eſt ſomnus; & quidem quavis arte. Nam ut quieſcenti agendum, ſic Naturæ præſcripto, agenti quieſcendum eſt. Ita tamen quieſcendum, ut quem dormire fecimus expergefacere tandem poſſimus. Indè perpetuum præceptum eſto: ne efficax & magnum remedium adhibeatur perſpectâ ſolâ ægritudine, ſed etiam ægrotante; nam turpe periculum eſt porrecto medicamine ægtum petire.

EXTEMPLO naturalis quem diximus calor fraudatus pabulo extingueretur, niſi ſtomachus inſtatet ut creditor, & ſæpius die appellaret. Hic enim latranti ore indeſinenter cibos appetit, quibus ſi quandoque præcludatur aditus in Angina faucium, quid poſt ſectam ut oportuit venam, & tentata incaſſùm auxilia moliendum eſt? Immaturum ſi pungis tumorem, irritatus ſuccreſcit valentior; ſi πεπασμὸν moliris aut expectas, à præcedenti exhauſtu collapſus ægrotans jam abſque exitio eſuriales non ſuſtinet ferias: quare donec maturus tumor ſponte ſua vel arte ruptus tranſitum cibis concedat, ſi nutrientia non ſuffecerint enemata, feliciori augurio tepenti lacte & cardiacis remediis in venas inditis, quàm transfuſo alieno ſanguine, ſanitati litandum eſt. Quin & eodem utendum remedio quoties cibus in chylum tranſire, aut hic ad cor deferri nequit, nutritiarum partium vitio; cùm aliud quo iſtæ corrigi poſſunt aut elui, ferre non valent diuturnitate morbi & cacoëthiâ fracti & afflicti ægri. At probè ingerere & digerere cùm non ſufficiant ſervandæ vitæ, egerere etiam eſt opus. Nullum eſt quippe cibi genus noſtro adeò ἀνάλογον corpori, ut recrementa non cumulet ſua: quibus cùm intercipitur exitus, præter alios affectus, inverſo motu periſtaltico inteſtinorum unus inſtar mille ſuccreſcit, ſymptomatum non minùs pernicie, quàm fœditate verendus εἰλεὸς, qui ut plures agnoſcit cauſas, perindéque remedia; ſi à convolutis inſtar farciminum inteſtinis contingat, quo ſeſe explicent hydrargyrum quandoque haurire, nunquam verò folle Hippocratico uti ſuaſerim, utpote quo non licet in humano corio ludere. Licebit potius (cùm non minus graves, intercepto lotio, producat affectus carnifex calculus) lapidem è veſicæ ſinu extrahere per inflatoriam Arabum, Ægyptiorúmque Chirurgiam. Sed olivæ magnitudinem non excedat, nam qui major eſt nec ita friabilis ut pharmaciæ ope diſſolui queat, cruentâ manu per lithotomian extrahitur, qui maximus nec illâ debet. Sed & παρακέντησιν abdominis in Aſcite laborantibus, non ut crudele remedium ſed tanquam inutile reſpuimus, etiamſi robuſtus hydropicus ſit & ἄσπλαγχνος: ſectionem verò pectoris, cùm pure aut aquis refertum eſt, ut pernecesſariam amplectimur. An in ulceribus quoque pulmonum, quo injecta per foramen remedia faciliùs pulmones ſubeant, ulcus eluant, mundent, conglutinent? At morborum omnium, quos hereditaria labes, aut longo tractu temporis contractum vitium, pertinaciâ extremos effecit, ſunt qui non curam modò ſuſcipiunt, ſed ſtibio, chalcantho, hydrargyro, ſcammonio, colocynthide, elleboro, elaterio & ſimilibus tum Chymicis tum Galenicis, ſed verendis remediis, brevi, ſi diis placet, averruncatum iri ſpondent. Sic in illa, quâ verſantur rerum caligine, non ſolùm nullus cæcum ſe cogitat, ſed quàm quiſque minimùm intelligit tam maximè fidens eſt. Obſequentes tamen habent ægrotantes, qui levioribus ſed ex arte præſcriptis auxiliis jamdiu fatigati, nihil æque amarum judicant quàm diu pendere; æquiore animo ferentes præſcindi ſpem ſuam quàm trahi. At quoties utriſque præſcinditur, cùm illi humani generis carnifices epilepſiam, paralyſin, melancholiam, hemicraniam, vertiginem, pertinaces febres, arthriticos dolores, elephantiaſin & ſimiles affectus validiſſimo medicamine adoriuntur? ſcilicet, reſerandæ paulatim obſtructæ viæ, per epicraſin eliminandi noxii humores, corrigenda ſenſim diatheſis inuſta viſceribus, & pertinaciâ remediorum, morbi pertinacia ſuperanda: ſat citò, ſi ſat bene. Extremi iſti, & utrique ſexui communes morbi cùm ſint, ſequiorem plures circumveniunt, in periculoſo potiſſimùm partûs articulo. Sic ex utero matris viventis unco trahi mortuum fœtum, & hunc pariter in lucem edi per diſcerpta defunctæ matris viſcera, notum eſt. Sic Africanus Scipio, ſic Hiſpanus Sanctius prodierunt. Matris verò in puerperio animam agentis etſi in horas obituræ aperiri viſcera quo ſalvetur infans, notum eſt pariter, ſed audax facinus. Erit huic nempe poſt obitum locus: expectanda mors non occupanda, matris potiſſimùm, nam infantulo præ viarum anguſtia ſitúque præpoſtero exire nequeunti neceſſatiâ crudelitate molimur perniciem, ne matricida moriatur. Quin & ſatius hoc erit quàm ὑστεροτομοτοκίαν meditari, licet in Cæſareo hoc partu non ſemel contigerit ut apertâ per abdomen & uterum portâ, vivus erumpat infans ex utero matris viventis. Sic remediorum nonnulla, licet ab aliis comprobata, tanquam pernicioſa explodimus; ſic in uſum non hactenus revocata, ſed profutura, recipimus. Sic pro indigentia ſolius morbi ſuppetias ægroranti non ferimus, ſed pro cauſarum, virium & cæterorum quæ inſinuavimus ratione magnis morbis majora quandoque remedia, maximis & extremis nonnumquam parva aut nulla præſcribimus; & cùm tam multa inter illa ſint, quæ indicatam ab extremo morbo vim extremi remedii aliquando non patiuntur, concludimus:

Ergo extremis morbis non ſemper extrema remedia.

ASSERTIONES.

Refrigerantium, & calefacientium liquorum nivatus potus æſtate eſt ſalubris.
Galenicorum & Chymicorum remediorum vires non aſſequitur, qui perpetuò Chymicis remediis Galenica præfert, aut Galenicis Chymica.
Morbi per contraria curandi.
Thoracis ſectio in Empyicis inter quartam & quintam notharum coſtarum inſtituenda.

PROBLEMATA.

An deſcendenti Pleuritidi purgatio?
An intermittentibus febribus Cortex Peruvianus?
An quavis tempeſtate Hiſpanorum Chicolate uti, & meridianum ſomnum nocturnæ quieti detrahere innoxium?
An homo, & vivens omne, cibos ore priùs capiat, quàm reſpiret?

PARADOXA.

Peripateticorum Ignis, Aër, Aqua, Terra non ſunt corporum vulgò mixtorum elementa.
Chymicorum Sal, Sulphur, & Mercurius ſunt æque chimerica Principia.
Ex chylo lac; ex ſero ſemen immediatè producitur.
Spermaticæ partes nec ex ſolo ſemine generantur; nec ſanguine nutriuntur.

D. A. Propugnabit Rothomagi Mag. FERDINANDUS MENDEZ *Doct. Medic. Monſpel. die* xij & xiij *Auguſti*, *Ann. Dom.* M.DC.LXX. *a 2 hora pomeridiana*

IN AULA MAJORE CARMELITARUM.

Typis EUSTACHII VIRET, Typographi Regis.